



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Sexto Idus Septemb.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

*Quaque minus pretij, plus pietatis habet.*

Secuta est maritum suum *Isabella Clara Eugenia*, quæ à morte amantissimi coniugis sui, habitum tertiæ Regule S. Francisci religiose induit, in eoque sanctissimè viuit, atque vt diu viuat, & æternùm viuat, omnes Belgæ mecum vouent.

## S E P T E M B E R.

*Tertio Nonas Septemb.*

In Monasterio Stabuleto, depositio S. Remacli  
Episcopi & Confessoris.

3.  
Septem.  
Vide cap.  
34. Apot.  
Spir. fol.  
185.

**M**ulta de hoc S. Episcopo refert Ioan. Chappeau. tom. 1. & 2. Chronici Episcoporum Leodiensium; quæ apud eum vide. Est verò *Stabuletum* (ad quod S. Remachus solitudinis amans, Episcopatu abdicato, sponte secessit anno 653. vbi & quiescit) Monasterium Ordinis S. Benedicti, à S. Sigeberto Franciæ & Austrasiæ rege in Silua Arduenna ædificatum, cui hodie præest Princeps & Episcopus Leodiensis, in cuius diocesi situm est.

*Stabulo.*

*Sexto Idus Septemb.*

3.  
Septem.

Natiuitas beatissimæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ.

Vide cap.  
11. Apot.  
Spir. fol.  
78.

**M**erito Sanctissimæ huius Virginis Natiuitas, publico festo fidelibus solemniter est; ea enim (vt canit Ecclesia) gaudium annuntiauit vniuerso mundo: ex qua ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster; qui soluens maledictionem, dedit benedictionem; & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. Quantum autem ex historijs Ecclesiasticis compertum haberi potest, à Concilio Ephesini temporibus, in quo execranda illa Nestorij hæresis

G

sis

sis damnata atque proscripta est, qua sanctissimæ Mariæ Virginis titulus ille supremus, *Dei Genitricis* impiè auferebatur, animaduvertitur (secundùm illud Prophetæ: *In tribulatione dilatasti mihi*) magis magisque in dies toto orbe Christiano beatissimæ Virginis cultum, auctum amplificatumque fuisse: quamuis non sit certum eo præcisè tempore hanc festiuitatem fuisse institutam: licet satis constet tam à Græcis quàm Latinis, eadem animi pietate, concordique studio & religione antiquissimè fuisse celebratam.

Octauam verò habet hæc festiuitas, sicut & Assumptio eiusdem Virginis; de quaita Iacob à Voragine: Octaua Natiuitatis B. Mariæ olim non celebrabatur, sed Dominus Innocentius IV. natione Genuensis, ipsam instituit celebrandam. Gregorio enim IX. per mortem sublato de medio, Romani omnes Cardinales in quodam conclau concluserunt, vt citiùs Ecclesiæ prouideretur: sed cùm per plures dies concordare non potuissent, & ipsi à Romanis multas molestias sustinuissent, vouerunt Reginae cæli, quod si eius meritis concordarent, & liberi abire possent, Octauas suæ Natiuitatis diu neglectas, de cetero statuerent celebrandas; sicque in Dominum Cælestinum conuenerunt, & liberati per Dominum Innocentium votum adimpleuerunt. Cælestinus enim modico tempore superuixit, & idè per eum impleri non potuit. Hactenus Iacob à Vorag.

In Ordine insuper nostro Præmonstratensî, etiam eius Visitatio plenam suam habet Octauam.